

www.e-rara.ch

Cursus philosophicus monasterii S. Galli

Sfondrati, Celestino

[St. Gallen], anno 1741

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 234

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30930>

Sectio III.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quas partes, ut inductione patet: sed cælum nunquam corruptum est; ergo cælum non est corruptibile. Prima demonstratio sumitur ex causa corruptionis: secunda ex effectu, qui est actualis corruptio: actualis autem corruptio, & appetitus materiæ ad diversas formas non tantum sunt res, & veritates distinctæ, sed etiam diverso modo illuminant, & incorruptibilitatem manifestant; argumentatio enim à negatione perpetua actus ad negationem potentiæ est pluribus communis, & ideo non manifestat incorruptibilitatem ut sic, sed tantum sub communi ratione potentiæ.

S E C T I O I I I .

De Scientia.



Actenùs de Syllogismo, & Demonstratione: nunc de Scientia, quæ proprius Demonstrationis est partus, & ad quam tota universum Logica contendit; sicut enim omnes lineæ circuli ad centrum referuntur, ita omnes partes, & instrumenta Logicæ ad Scientiam. Nec sola Logica, sed & reliquæ scientiæ omnes militant hoc stipendio; cur enim Divina speculatur Theologus, nisi ut sciat? Quid Jurisprudencia tot legibus quærit, nisi scientiam
red-

reddendi cuique ſuum? Néque Aſtologus noctes infomnes ducit ábsque ſciendi deſiderio. Fidem exſuperat, quod de Solone refert Valerius Maximus *lib. 8. c. 7.* Hic lethali lectulo decumbens, amicis, nescio, quos ſermones inter ſe miſcentibus, reſumpto ſpiritu, collectisque viribus, fatis jam preſſum caput ſubito elevat, aures arrigit: rogatus, quid his vellet? *ut cum iſtud, ait, quidquid eſt, de quo jam diſputatis, percepero, moriar.* Tam vividus in frigido jam corpore incaluit amor ſciendi. Indignum certe foret, fortem vegetúmque animum ibi languere, ubi infirmus, & viribus jam fractus adeò prævaluit: ſed quid immoror? migráſſet proſectò, ut idem Valerius *loc. cit.* ait, *ex hominibus inertia, ſi eò animo vitam ingrederemur, quò eam Solon egreſſus eſt.* Ne igitur inertiae arguamur, per apertam *Scientia* januam Logicâ noſtrâ egrediamur, neceſſe eſt.

Quæſtio I.

An detur aliqua, & vera Scientia de novo?

S U M M A R I A.

1. Quid ſit ſcientia propriè accepta, & in quo conveniat cum aliis habitibus? 2. Reſeruntur varia antiquorum Philoſophorum opiniones. 3. 4. 5.

& seqq. Dari aliquam, & veram scientiam, etiam de novo, ostenditur, & in contrarium objecta solvuntur.

I PRænotand. 1. Scientiam, propriè acceptam, benè ab Aristotele definiri: quòd sit *cognitio, vel habitus intellectus certus, & evidens rei necessaria per causam*. Convenit cum aliis habitibus intellectualibus, quòd sit *virtus intellectualis*, hoc est, recta dispositio: tunc verò est recta, cùm intellectum ita firmat, & defigit in verum, ut certò illi, & sine formidine adhæreat; si enim intellectus deficere possit ad falsum, non est circa verum perfectè dispositus. Quomodo ab aliis habitibus differat? patebit ex infrà dicendis.

2. PRænotand. 2. Cratillum Philosophum negasse, dari scientiam posse; res enim creatas in perpetuo fluxu, motuque esse, & in momenta variari, & idèò asseri de illis nihil posse; si enim de rosa dixeris, floret, jam forsan defloruit: & de sole, lucet, jam fortè eluxit, occiditq;: & de igne, ardet, jam forsan arsit, & in fenum evanuit: & idèò nec verbis utebatur, sed solo nutu, digitiq; motu, quòd crederet, prius rem emori, finireq; quàm orationem, & verba. Eadem Pythagoræ, & Socratis opinio fuit. Plato duos mundos constituebat, unum intelligibilem,

alterum ſenſibilem: in hoc veritatem reperriri, negabat, ſed ſolam verifimilitudinem, & apparentiam, in illo veritatem eſſe, ſed nobis occultā, qui omnia à ſenſu diſcimus; ſicut ergò alius in aula Rex, alius in theatro, in hoc larva, & mendacium, in illa Majeſtas vera; ita in hoc mundo ſenſibili larvas tantum veritatis, & fucum videri. Idem Plato, & cum illo Academici animas perpetuas eſſe, ac æternas dicebant, & naturaliter, ac ſine ſtudio rerum omnium *ſcientiis*, perinde, ac cœlum ſtellis, ornatas exitiſſe; cum verò corpori jungerentur, hauſto oblivionis poculo, *ſcientias* illas omnes oblitteratas, vel potiùs tectas eſſe, & paulatim ſtudio, ac labore excitari, eò ferè modo, quò ſcintillæ ignis cinere conteguntur, & hoc paulatim eventilato, gliſcunt iterum, emicantque; ſolam ergò *reminiſcentiam*, non verò *novas ſcientias* admittebant. Democritus denique veritates, & *ſcientias* rerum puteo querebatur immerſas, fundo impervio, & inacceſſo. Sed contra horum omnium errores ſit

3 Refol. I. Datur aliqua vera, & propriè dicta *ſcientia*.

Ratio eſt I. Si non datur aliqua vera *ſcientia*, ſequitur, nullas omnino cognitiones certas, & indubitatas dari: ſed negari non poteſt, aliquas cognitiones certas,
&

& indubitatas dari; ergò etiam negari non potest, dari aliquam *veram scientiam*. Seq. *M. prob.* Sublato effectu necessario, tollitur etiam causa necessaria: sed cognitio scientifica est effectus necessarius (scientia enim nihil aliud est, quàm cognitio necessaria ex necessariis deducta) & cognitio certa, & indubitata est causa necessaria (quia ex cognitione certa, & indubitata deduci aliæ cognitiones certò, & necessariò possunt; quod enim cum vero connectitur, necessariò est verum) ergò sublata cognitione scientificâ tollitur etiam cognitio certa, & indubitata. *min. verò per se patet*; quis enim non certò cognoscit, lapidem deorsum moveri? meridie solem lucere? rosam spinis involvi? &c.

4 Nec dicas: Has cognitiones esse incertas, & tantum verisimiles: nam

Contrà est I. Quia si hæ cognitiones sunt incertæ, & tantum verisimiles, cur semper, cur omnibus eòdem modo apparent? quæ enim incerta, & fucata sunt, aliis aliter apparent, & tandem ab aliquo, & post multum temporis falsitas deprehenditur, aut saltem dubitatur: de illis verò nemo unquam dubitavit; admove igni manum, spinis pedem, & dubita, an hæ pungant? ille urat? si Apelles penicillum, & colores tabulæ admovert, certò prod-

ibit imago, ſi Polycletes in marmore, aut ære laboraverit, certò erit ſtatua: ſi Archimedes lineas pulveri inſcripſerit, certò machina videbitur: ſi triticum ſeveris, certè non emerget arbor: ſi pomum plantaveris, certè uvas non dabit; ſi ergò regulæ artis certæ ſunt, & certò, niſi aliquid obſtet, unum, non alium effectum producunt, oportet, cognitiones quòque artificis certas eſſe, ac inſallibiles; ab his enim regulæ, & effectus artis ſunt.

Contra eſt 2. Si nescimus, quid ſit verum? ergò nèque, quid ſit veriſimile? ſicut fieri nequit, ut cognoſcas Chryſippum Socrati ſimilem, ſi Socratem non agnoſcas; falſum ergò eſt, quod dicitur, veriſimile tantum à nobis, non verum, agnoſci.

Ratio eſt 2. Qui dubitant, ſciunt, ſe dubitare; ergò hoc ſaltem ſciunt: & ſi hoc ſciunt, certòque cognoſcunt, cur non æq; alia multò certiora? multò enim certius eſt, nivem eſſe albam, quàm dubitare, an ſit alba? hoc enim multis ignotum eſt, à multis negatum; illud certum, & negatum à nemine; ſi ergò dari ſcientia poteſt de rebus incertis, dubiis, à multisque negatis, cur non de rebus certis, indubiis, & quas nemo unquam negavit?

Ratio eſt 3. *Scientia* eſt cognitio per ſuam cauſam: ſed cognoſci aliquid poteſt, & ſimul ejus cauſa; cur enim cauſa non
ſit

fit cognoscibilis? cognosco, diem esse, quia sol est; cognosco, ignem fursum rapi, quia levis est; cognosco, in infantibus caput notabiliter, & super alias partes corporis augeri, quia alimentum, quò sæpè vescuntur, & viscosa humiditas, quæ in illis abundat, calore naturali fursum, & in caput agitur, unde illi augmentum &c.

Ratio est 4. Voluntas nihil amat, aut vult, nisi intellectus amanda cognoverit; si ergò, ut ajunt AA. sapiens nihil approbat, ne se committat periculo falsæ assertionis, quod temeritatis est, ergò voluntas æquè sine temeritatis periculo nihil amare, aut odisse, prosequi, aut fugere debet; oportebit ergò sapientem dormire, & experitem omnium officiorum, ac virtutum vivere; eadem ergò sapientis vita, & gliris erit, totam hyemem somno acquiescentis. Vide S. August. l. 3. cont. Academ. Damascen. in Dialect. c. 1. Tertull. l. de An. Scutum in 1. d. 3. q. 4.

§ Resol. 2. Datur etiam aliqua, & vera scientia de novo.

Ratio est; Quia sententia Platonis negans, dari scientiam aliquam de novo, falso nititur fundamento; ergò & ipsa est falsa. Ant. prob. Plato, & cum illo Academici ex hoc fundamento negabant, dari scientiam de novo, quòd crederent, animas perpetu-

as eſſe, ac æternas, & naturaliter, ac ſine ſtudio rerum omnium ſcientiis inſtructas extitiſſe; cùm verò corpori jungerentur, ſcientias illas omnes quodammodo velatas eſſe, & non niſi ſtudio, ac labore *de novo* excitari, ita, ut diſcere jam aliud non ſit, quàm reminiſci eorum, quæ olim jam nôſſent: ſed hoc fundamentum eſt nullum; ergò &c. *min. prob.* Nam animas perpetuas eſſe, & æternas, præterquàm, quòd ſit error in fide, gratis omnino fingitur: ſcientias verò eis congenitas non eſſe, nec ſolam de facto *reminiſcentiam* admitti poſſe, ex multis evincitur. *Primò*, ſi nobis congenitæ forent ſcientiæ, minimè nos late- rent; nequit enim fieri, ut ſcientem lateat, ſe ſcire, maximè, cùm diſciplinæ, quòd ſunt evidentiores, eò maniſeſtiùs ſe prodant: atqui tales congenitæ ſcientiæ nos latent; ergò &c. *Secundò*, ſi ſcientiæ nobis congenitæ ſunt, ut quid tam laborioſè illas quærimus? quomodo non omnes idem ſentirent, & tam diſcrepantes ſententiæ in unam coaleſcerent, ſi eandem omnes ſcientiam congenitam haberent? *Tertiò*, qui reminiſcitur, recordatur, ſe antea noviſſe ea, quorum reminiſcitur: ſed qui diſcit, non recordatur, ſe antea noviſſe ea, quæ *de novo* diſcit, & didicit; ergò &c. *Quartò*, ſi ſcientia eſt ſola *reminiſcentia*, ſequitur, eos, qui

qui ab ortu sensu aliquo sunt privati, posse habere *scientiam* rerum, ad eundem sensum pertinentium: at hoc est falsum, ut experientia docet; cæcus enim natus non judicat de coloribus; ergo &c.

6 Objic. 1. *Cont. 1. Resol.* De fluxis, & quæ in perpetuo motu sunt, vera *scientia* non est: sed res omnes in perpetuo fluxu, motuque sunt; ergo de ijs vera *scientia* non est.

Resp. 1. *Transf. M. Neg. min.* Falsum enim est, omnia mutari, & nihil perpetuum esse, ut patet in Deo, in Angelis, in cælis, in anima rationali, in essentiis, & proprietatibus rerum; semper enim verum est, si Petrus existit, est homo: si homo existit, est rationalis &c. & licet hæc propositio: Petrus existit, non sit scibilis à priori, quia non habet causam necessariam, est tamen à posteriori, quia habet effectus, necessariò cum existentia connexos, & ita hæc consequentia est evidens, & scientifica: Petrus currit; ergo existit.

Resp. 2. *Dist. M.* De fluxis &c. quoad essentiam spectatis, vera *scientia* non est, *Neg. M.* de fluxis &c. quoad existentiam spectatis, vera *scientia* non est, *subdist.* si spectentur quoad existentiam absolutam &c. *Conc. M.* si spectentur quoad existentiam hypotheticam, sive conditionatam &c. *Neg. M.* & sub

eadem dist. min. Neg. Conseq. Licet enim res omnes, scilicet creatæ, quoad existentiam absolutam mutabiles sint, quoad essentiam tamen, & prædicata essentialia, ac existentiam hypotheticam certæ, fixæq; sunt, sicq; de illis vera scientia dari potest, ut jam alibi dictum.

7 *Objic. 2. Cont. 2. Resol.* Scire de novo, est aliquid addiscere de novo: sed nihil addiscitur de novo; ergò nihil scitur de novo. *M. est certa. min. prob.* Id, quod addiscitur de novo, vel prius jam fuit cognitum? vel erat incognitum? neutrum potest dici; ergò &c. *min. prob.* Non primum; quia, quod scitur, addisci amplius non potest: non secundum; quod enim ignotum est, sciri, & cognosci nunquam potest: sicut, qui vicini sui servum fugitivum quærit, quem omnino non novit, nunquam illum agnoscet, etsi millies occurrat; ergò &c.

Resp. Neg. min. ad prob. Neg. iterum min. ad cujus prob. Dist. 2. membr. Ant. quod ignotum est tam confuse, & virtualiter, quàm distinctè, & formaliter, sciri, & cognosci nunquam potest, *Transf. Ant.* quod ignotum est distinctè, & formaliter tantum, confuse vero, & virtualiter notum, sciri, & cognosci nunquam potest, *Neg. Ant. & Consequent.* Dicimus ergò, id, quod addiscitur, partim sciri, partim nesciri: sciri confuse, &

viri.

virtualiter, nesciri *distinctè*, & *formaliter*: ut verò aliquid scias *formaliter*, opus non est, ut illius habitum prius habueris, sufficit, si principia teneas, & iudicio intellectus deprehendas, ex principiis evidenter inferri conclusionem, cuius *scientia* quæritur: sicut, si quis vicini sui servum fugitivum sibi de facie quidem ignotum quæreret, si tamen signa quædam haberet, quæ illum omnino proderent, certus planè foret, se invenisse servum, quem antea non novisset.

Quæstio II.

Quæ sint Conditiones veræ Scientiæ ?

S U M M A R I A.

1. *Ad veram, & perfectam scientiam quatuor conditiones requiri, ostenditur.* 2. & 3. *Solvitur duplex objectio.* 4. *De singularibus non datur scientia, saltem perfecta, & apodictica.* 5. *Idem asseritur de ente per accidens, simpliciter tali, non tantum secundum quid.*

RESOL. *Ad veram, & perfectam scientiam quatuor conditiones requiruntur: videlicet, ut sit certa, evidens, per causam, & de objecto necessario.*

X x 5

1. Opor-

1. Oportet *scientiam* esse *certam*; per hoc enim *scientia* distinguitur ab *opinionem*. *Certitudo* autem est triplex, *objecti*, *cognitionis*, & *cognoscentis*. *Certitudo* *objecti* idem est, quod ejus necessitas, & infallibilitas. *Certitudo* *cognitionis* est hujus infallibilitas, cui falsum subesse nequit, nec semper oritur ex necessitate *objecti*, ut patet in fide, quæ est de rebus contingentibus, & tamen certa: certò cognosco, Petrum currere, & tamen id contingit; & econtrà potest *opinio* esse de re necessaria, quia nobis ejus necessitas non apparet. *Certitudo* *cognoscentis* est firma intellectûs adhæsiō ad rem ut veram, & hæc potest cum falso conjungi. Ad *scientiam* ergò triplex hæc *certitudo* requiritur.

Ratio est; Quia *scientia* est de *objecto* necessario, & ex præmissis necessariis, unde oritur non tantum *certitudo* *objecti*, sed etiam *certitudo* *cognitionis*, & *cognoscentis*.

2. Oportet *scientiam* esse *evidentem*. *Evidentia* nihil aliud est, quàm clara rei cognitio; aliud enim est, rem aliquam certò, aliud clarè cognoscere: nam multa eminùs, & procul, ac certò videmus, nec tamen clarè: certissimum mihi est, Aristotelem, Ciceronem, Plutarchum vixisse, quos tamen nunquam vidi, & de quibus nulla mihi clara, & *evidens* rei cognitio: myste-

myſteria etiam fidei certò cognofcimus, ſed non clarè. *Evidentia* verò alia eſt ex parte *objecti*, alia ex parte *potentiæ*. Illa eſt claritas, & perſpicuitas, quâ res ita potentiæ obicitur, ut ab ea quaſi videatur: Hæc eſt ipſa claritas perceptionis, rem penetrantis, & duplex eſt, *ſenſûs*, & *intellectûs*. *Evidentia ſenſûs* eſt clara objecti perceptio beneficio alicujus ſenſûs comparata. *Evidentia intellectûs* eſt clara objecti perceptio per intellectum acquiſita. Hæc ſubdividitur in *evidentiam viſionis*, quæ etiam *intuitiva*, & *immediata* vocatur, & in *evidentiam intelligentiæ*. *Evidentia viſionis* eſt, quâ res, & veritas aliqua *immediatè*, & in ſeiſpa, ac ſine diſcurſu cognofcitur: & hoc modo prima principia cognofcuntur; hæc enim ſeiſpis *immediatè* illuminant, & determinant, movéntque intellectum ad aſſenſum (ſicut lux applicata oculum ad viſionem determinat) nec indigent authoritate aliquâ extrinſecâ, motûque, & impulſu voluntatis, ſicut aſſenſus fidei, qui *evidens* non eſt, nec *immediatè* ad propoſitionem objecti, ſed ad extrinſecam authoritatem, imperiûmque voluntatis ſequitur. *Evidentia intelligentiæ* eſt, quâ res clarè quidem, ſed *mediatè* tantum, hoc eſt, mediante diſcurſu, cognofcitur: ſic concluſiones, ex primis principiis deductæ, ſunt evidentes.

dentes, quia necessariam connexionem cum illis habent, & ob hanc connexionem participant vim illuminandi, & determinandi intellectum ad assensum sine formidine. Hanc *evidentiam scientiis* necessariam esse, docet expressè S. Thomas 1. 2. q. 67. a. 3. &

Ratio est; Quia in cognitionibus naturalibus *certitudo ex evidentia* nascitur, ut docet S. Thom. *de verit. q. 14. a. 9.* veritas enim obscura, & obscurè proposita intellectui apparet, tanquam quæ possit esse, & non esse; ergò intellectus ita iudicat, illam esse, ut simul iudicet, forsan non esse, ne obscuritate deceptus erret: sed *certitudo essentialiter* pertinet ad *scientiam*; ergò & *evidentia*.

3. *Scientia*, hoc ipso quòd sit *perfecta rei* cognitio, debet procedere per cognitionem *causa*.

Ratio est 1. Quia cognitio *perfectè scientifica* est imago rei, prout res est: sed est à parte rei per *causas*; ergò cognitio *perfectè scientifica* procedere debet per *causas*. *M. est certa. min. est Aristotelis*, qui 2. *Poster. c. 1.* docet, per *causam* solvi posse omnes quæstiones circa rem, *an sit? quid sit? qualis sit?* & propter quid sit? cum enim omne ens creatum sit *causatum*, quidquid habet, à *causa* habet, & per *causam* probari potest: etiam rei *essentiam* per *causas* ma-

teria-

teriales, & formales cùm phyficas, tum metaphyficas probamus: & in omni inquisitione speculativa quærimus *causam*, seu rationem aliquid sciendi, in practicis verò *causas*, & rationes aliquid faciendi, v. g. ægrotus quærens, & appetens sanitatem, rationes simul, *causasque* eam consequendi quærit; ergò &c.

Ratio est 2. Cognitio *perfectè* scientifica rei debet intellectum reddere quietum: sed intellectus rem cognoscens, non ejus *causam*, est inquietus, nec illi cognitioni acquiescit, donec *causam* reperiat; ergò cognitio illa non est *perfectè* scientifica. *M. paret*; sicut enim forma *perfecta* appetitum materiæ, & bonum *perfectum* appetitum voluntatis, ita verum, *perfectè* cognitum, appetitum intellectui innatum satiat, & si non satiat, non *perfectè* cognoscitur. *min. etiam constat*; etsi enim intellectus experientiâ cognoscat, v. g. *appetitum acidis provocari, & mordicantibus*; non tamen pacatur, nisi causâ repertâ; quia, cùm valdè sint appetibilia, & mordicantia, fibras stomachales, & ipsum os stomachi quâdam titillatione, & pruritu aperiunt, & calorem naturalem fodicant, excitantque.

Ratio est 3. Ut cognitio sit *perfectè* scientifica, debet esse universalis: sed cognitio rei, ut est in se, non cognitâ *causâ*,
aut

aut cognitio per effectum non est universalis, sed ad unum objectum limitata, & ipsum objectum cognoscitur tantum pro tempore, in quo est: cognitio verò per causas est valde universalis, & ad multos effectus, ac veritates extensa, nec pro uno tantum tempore; ergò, ut cognitio sit perfecte scientifica, debet esse per causas. *M. patebit ex infra dicendis. min. prob. ab inductione.* Qui hodie sereno, sudòque cœlo experitur, majus esse frigus, quam heri, aère nubibus obducto, nec causam novit, nesciet, an cras, an perendie, & deinceps idem frigus sit duraturum? nec poterit rationes solvere, quæ illam experientiam videntur impugnare, ut si quis arguat: sereno cœlo possunt stellæ, & sol suum calorem liberius, & sine impedimento diffundere; ergò magis aërem calefacere. At verò, qui causam novit, idè videlicet majorem calorem in terris esse cœlo nubo, quam sereno, quia nubes densæ, frigidaq; impediunt, ne calor terrestris dissipetur, & in altum evolet, & istum nativo frigore in terras repellunt, includuntque, calor verò inclusus major, & intensior est: qui, inquam, hoc novit, etiam effectus cognitionem habet, nec tantum pro tempore, quò illum experitur, sed pro omni tempore, quò eadem causa fuerit, & facile solvet, quæ in contrarium oppon-

nun-

nuntur; ergò &c. Ex quo etiam patet, quanti intersit, rem, & causas sciri, quod maximè apparet in scientiis practicis, v. g. qui novit, eum, qui capite vehementer dolet, præcepto jejuniij non obligari, nec scit causam, parùm novit, & in aliis casibus facile errabit: qui verò causam novit, quia videlicet leges humanæ non obligant cum gravi damno, infinitas simul veritates, & conclusiones perspectas habebit.

4. Requiritur, ut scientia sit de objecto necessario, non contingenti.

Ratio est; Tum quia scientia paritur demonstratione: sed hæc constat principiis necessariis: ex necessariis verò sequitur necessarium; ergò &c. Tum quia scientia est cognitio certa, & sine omni formidine; ergò est de objecto non excludente certitudinem, nec admittente formidinem: sed contingentia quæ talia excludunt certitudinem; contingens enim, ut contingens, potest esse, & non esse, nec habet certas sui causas; ergò sciri per certas causas non potest. Contra hanc conditionem.

- 2 Objic. 1. In hoc syllogismo: omne animal, dum currit, calefit: Petrus currit, & est animal; ergò Petrus calefit: conclusio est contingens, & tamen certò, ac evidenter cognoscitur; ergò de contingentibus datur scientia.

Resp.

Resp. *Dist. Ant.* conclusio est *contingens absolute*, *Conc. Ant.* est *contingens secundum quid*, & datâ hypothesi, quod Petrus currat, *Neg. Ant.* Sic enim est *necessaria*; calor enim *necessariò* ex cursu provenit, & ut sic cognosci certò, & evidenter potest: similiter illa propositio: *Petrus currit*, *absolute* est *contingens*, datâ tamen hypothesi, quod currat, & in sensu composito est *necessaria*, & evidenter cognoscibilis, imò per se nota quoad sensum; video enim currentem, & ut sic potest deservire demonstrationi, saltem imperfecta.

3 Objic. 2. Deus cognoscit certò, & evidenter futura *contingentia*; quid ergò impedit sciri posse?

Resp. *Conc. Ant. Neg. Consequent.* Quia aliud est, rem certò, & evidenter cognosci, aliud sciri; objecta enim sensibilia, & prima principia certò, & evidenter cognoscuntur, non tamen sciuntur; futura ergò *contingentia* cognosci certò, & evidenter à Deo possunt, quia illi præsentia, non tamen sciuntur; quia non habent certas, & intrinsecas sui causas, si præcisè, & in se spectentur, sine connexionione ad divinam, & infallibilem voluntatem. Vide S. Thomam 1. p. q. 14. a. 13. Ex dictis

4 Inferitur 1. De singularibus non dari scientiam, saltem perfectam, & apodicticam. Tum quia

quia demonstratio (& consequenter *scientia*) est de prædicatis reciprocis, & formaliter, ac per se competentibus subjecto: sed *singularia* nulla hujusmodi reciproca, & necessaria prædicata habent; cum enim v. g. concludis: ergo *Petrus est risibilis*, risibilitas est prædicatum Petri, non ut *individuum* est, (aliàs soli Petro conveniret) sed ut *homo* est. Tum quia *singularia* nullas habent proprietates, quæ demonstrari de illis possint; quæ enim illæ? aut si habent, nobis occultæ sunt, nec hæcenus ullæ in lucem productæ: si tamen aliquæ essent, dari de illis *scientia* posset, ut de Christo, & Deo. Dantur tamen de *singularibus* evidentes, certæq; cognitiones, & demonstrationes *dicticæ* in *Darij*, in *Ferio* &c. & in *Astrologia* de hac solis, aut lunæ eclipsi.

- 5 Infertur 2. De ente *simpliciter per accidens*, quod componitur ex pluribus per modum aggregationis, hoc est, nullo ordine in eis considerato, quale est cumulus lapidum, aut grex ovium, dari *scientiam* non posse: quia nec habet unam naturam, nec unam rationem, & ideò nec unâ definitione explicari, nec habere determinatas passiones potest, quæ de illo demonstrari possint. De ente tamen *per accidens secundum quid*, hoc est, ex pluribus, cum aliquo ordine compositis, dari potest *scientia*; quia

tali composito possunt aliquæ, & necessariae proprietates competere: & ita *scientia Medica de pharmacis, Politica de re publica, Arithmetica de numeris agit.*

Quæstio III.

Unde specificentur Scientiæ?

S U M M A R I A.

1. *Quid sit specificare, & quotuplex specificativum?* 2. *Quid requiratur ad hoc, ut objectum sit, & dicatur scibile?* 3. *Ostenditur, scientias specificari in genere causæ formalis extrinsecæ ab objectis per rationem formalem sub qua.* 4. *In quo consistat ratio formalis sub qua specificativa scientiarum?* 5. *Inferitur, quam scientiæ sint ejusdem, vel diversæ speciei?* 6. 7. & seqq. *Solvuntur objectiones.* 13. *Utrùm scientia sit una simplex qualitas?*

I *PRænotand. 1. Specificare aliud non esse, quàm tribuere alicui ultimam illam differentiam, per quam res constituitur in hac potius specie, quàm in alia, & ab omni alia specie distinguitur. Quod speciem accipit, dicitur specificatum, quod tribuit, specificativum: quod duplex est, intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecum illud dicitur, quò res formaliter constituitur in sua essentia specifica: sic rationalitas est specificativum intrinsecum hominis; homo enim in esse hominis*

minis *formaliter*, & *essentialiter* constituitur per rationale. Dicitur *intrinsecum*, quia est in ipso *specificato*. *Extrinsecum* est, quod, cum sit extra rem, ei tamen speciem tribuit vel *effectivè*, vel *formaliter*; duplicem enim causalitatem obiectum in cognitionem scientificam exercet, causæ videlicet *efficientis*, & *formalis extrinsecæ*, sive *exemplaris*, hanc, purè terminando actum, illam, *effectivè* per species producendo actum. Et de hoc *specificativo extrinseco scientiarum* controversitur *primò*, quodnam illud sit? *secundò*, in quo consistat? Quod ut plenius, clariùsque intelligas,

2 Prænotand. 2. Ad hoc, ut obiectum sit scibile, duo requiri.

1. Ut sit aliquo modo *abstractum* à materia, quæ impedit, & obumbrat scibilitatem obiecti; sicut enim corpus densum minùs est receptivum lucis, quàm diaphanum, & pellucidum; ita ens materiale, quò magis tale est, minus habet cognoscibilitatis, & veritatis, quæ sciri possit. Triplex verò assignatur materia, à qua abstrahi obiectum potest. *Prima* est materia *singularis*; hæc absolutè impedit obiectum sciri, & ideò omnis *scientiæ* obiectum abstrahit à *singularibus*; *singularia* enim ut sic sunt mutabilia, infœcunda, ignota (quoad differentias numericas substantiales)

infinita, inordinata, nec cadunt in noſtram cognitionem, niſi per differentias merè contingentes. *Secunda* eſt materia ſenſibilis, h. e. ut affecta qualitatibus ſenſibilibus: & hæc materia non impedit quidem objecti ſciſibilitatem; Phyſica enim de ſenſibilibus agit, v. g. de primis qualitatibus, calore, frigore &c. ſaporibus, coloribus, ſonis, & ex ſenſibilium experientia, v. g. eclipsibus, motu, ortu, interitu ad eorum cauſas indagandas procedit; negari tamen haud poteſt, ab hac ipſa concretione cum materia ſenſibili multum ſcientias impediri: *tum* quia res ſenſibiles, ut tales, ſunt ſingulares, de ſingularibus verò non eſt ſcientia: *tum* quia ſcientia rerum ſenſibilium à ſenſibus eſt, iſti verò sæpè falluntur, maximè objecto non ſatis applicato, aut medio infecto, aut organo corrupto: *tum* quia experientia ſenſuum rarò eſt univerſalis, & ideò non poteſt intellectum inducere ad ferendum iudicium univerſale. *Tertia* eſt materia intelligibilis, hoc eſt, *quantitas*: hanc conſiderat Mathematica, ut abſtractam ab omni materia ſenſibili; agit enim de lineis, de triangulis, de ſphæris, circulis, abſtrahendo, an ſint colorati, frigidi, calidi, mobiles &c. & hæc etiam materia, eſſi non impediatur, nonnihil tamen obumbrat ſciſibilitatem objecti, nam & veritates mathe-

maticæ patiuntur suos defectus: *tum* quia, cum nimis remotè pendeant à principiis per se notis, facilè in eorum applicatione error contingere potest, & certitudo rationalis deficere: *tum* quia praxes, & speculationes mathematicæ à variis instrumentis dependent, in quibus ex artificum ignorantia, & incuria, ex defectu item applicationis, & medij hallucinari in promptu est &c. Metaphysica verò, quia abstrahit ab omni materia *singulari, sensibili, & intelligibili* (considerat enim naturas, quæ secundum se extra omnem materiam esse possunt) idèò etiam est certissima, & superat certitudinem mathematicam.

2. Requiritur, ut illustretur per quædam *principia*, seu cognitiones certas, & evidentes; sicut enim colores illustrantur, & redduntur actu visibiles per lucem, ita objectum per lumen talium *principiorum* redditur actu scibile: & sicut colores illustrari possunt, & reddi actu visibiles non per unam tantum lucem, sed per multas, & diversas, v.g. solis, lunæ, facis, gemmæ &c. ita & veritas aliqua, & conclusio deduci, & manifestari potest per diversa *principia*, motiva, & rationes. His prænotatis, ac omissis variis Philosophorum, qui circa alteram expositæ Quæstionis partem, variè omnino, & satis confuse

loquuntur, sententiis, sit nostra

- 3 Resol. 1. *Scientiæ specificantur ab objectis per rationem formalem sub qua in genere causæ formalis extrinsecæ.*

Ratio est; Ab eo specificantur *scientiæ*, à quo derivantur prædicata specificativa, & distinctiva *scientiarum*: sed hæc derivantur ab *objectis*; ergò *scientiæ* specificantur ab *objectis*. *M. est certa. min. prob.* Ad actum scientificum duo principia concurrunt, *potentia intellectiva*, & *objectum*, à *potentia scientia* habet, quòd sit actus vitalis, spiritualis, immanens &c. quæ omnia sunt prædicata generica, & communia: ab *objecto* verò habet, quòd sit cognitio certa, evidens, & necessaria, quæ sunt prædicata specifica, & soli *scientiæ* competentia, & à solo *objecto*, non à *potentia intellectiva* derivantur; hæc enim est indifferens ad cognitionem certam, vel incertam, evidentem, vel inevidentem &c. cum ergò *objectum* sit, à quo derivantur prædicata specificativa, & distinctiva *scientiarum*, merito specificatio *scientiarum* dicitur ab *objectis* esse: sicut, quamvis sol, & arbor generent pomum, hoc tamen arbori, non soli adscribitur; quia virtus specifica arboris universalem, & indifferentem solis influxum ad certum effectum determinat.

Dixi in Resol. 1. *Per rationem formalem*
sub

sub qua: hâc enim remotâ, *objectum scientiæ* adhuc manet genericum, & pluribus *scientiis* commune, ut jam supra in *Tractat. Prolegom. Sect. 2. Q. 1. n. 6.* ostendimus, & patet in Deo, qui à *Phyfica*, & *Metaphysica*, distinctis specie *scientiis*, attingi, & demonstrari potest.

Dixi 2. In genere *causæ formalis extrinsecæ*; *objectum* enim assimilât sibi actum, sive cognitionem scientificam, quæ dicit similitudinem, & imitationem *objectorum*: imitatio verò, & similitudo non dicit ullum influxum *effectivum*, sed purè *terminativum*.

- 4 *Resol. 2. Ratio formalis, sub qua scientiæ specificantur, consistit in certo lumine principiorum circa objectum, certo modo à materia abstractum.* Expresse Aristoteles *l. 1. Poster. c. 24. text. 43.* & ibi S. Thomas *lect. 41. & q. 9. de verit. a. 1. & 1. 2. q. 54. a. 2. ad 2. & 1. p. q. 1. a. 1. ad 2.*

Ratio est; Quia *ratio formalis, sub qua scientiæ specificantur, est ultima actualitas, & scibilitas objectiva, per quam aliquod objectum ita uni scientiæ proportionatur, respondetque, ut sub ea ratione attingi ab alia scientia non possit: sed hæc ultima scibilitas objectiva consistit in certo lumine principiorum circa objectum, certo modo à materia abstractum; ergò ratio formalis, sub qua scientiæ specificantur, consistit*

in certo hoc lumine principiorum &c. *M.* eſt definitio. min. verò prob. Quia variatis principijs variatur neceſſariò ſcibilitas objecti, ut in Theologia, Phyſica, & Metaphyſica patet, quæ ob varietatem principiorum ſunt ſcientiæ ſpecie diſtinctæ; hæc enim v.g. propoſitio: *Deus de rebus etiam minimis providentiam gerit*, demonſtratur primò per principia theologica hoc modo: *Deus providentiam habet de paſſeribus, de folijs arborum, de capillis capitis, de liliis agri, ut patet ex Evangelio: at hæc ſunt minima; ergò de minimis providentiam habet.* Secundò per principia phyſica in hunc modum: *providet Deus halcyonum partui, ſedatis, compreſſiſq; ventis, quamdiu ad mare fœtificant: providet Deus minimis etiam floſculis, datis fibris, quibus alimentum attrahant, & ſemine, quò propagentur: providet Deus formicis, dato illis inſtinctu, quò in hyemem grana convehant, & morſu corrochant, ne herbefcant &c. atqui hæc ſunt minima; ergò &c.* Tertiò eadem conſuſio de providentia Dei etiam in minimis demonſtratur per principia metaphyſica, ut *Deus eſt infinita ſapientia, & bonitatis; ergò non laſſatur, nec impeditur à gubernatione mundi curâ rerum finitarum: plus eſt producere, quàm producta dirigere, aut curare: Deus etiam minima produxit; ergò & curat &c.* His ergò exemplis habes, eandem conſuſionem variis principijs de-

demonstrari, & pro varietate principiorum alias, & alias habere scibilitates, & ita ad alias, & alias *scientias* pertinere.

Dixi in Resol. Circa *objectum*, certo modo à *materia abstractum*: jam enim suprà in *Prænotab. 2.* dictum, ad hoc, ut *objectum* reddatur scibile, necessariam esse aliquam *abstractionem* à *materia*, & quò magis ista remouetur, eò certius *objectum* reddi, suamque certitudinem in *scientiam* derivare: & inductione etiam patet, agentia immaterialia magis esse cognoscitiva, ut in Deo, Angelis, animabus; & inter sensus externos oculus, quò nobilior, & immaterialior, eò etiam nobiliores exercet operationes, magisque *objectum* suum cognoscit; sicut ergò immaterialitas *subjectiva* est ratio cognoscendi, & intelligendi, ita immaterialitas *objectiva* est ratio, ut *objectum* reddatur scibile; *objectum* enim separatum à *materia* redditur magis intellectui proportionatum, & consequenter magis intelligibile; intellectio namque fit per assimilationem, tantò autem faciliùs *objecto* suo intellectus assimilatur, quantò magis *objectum* proportionatur intellectui, sicut & elementa symbola faciliùs transmutantur, & ignis faciliùs agit in arida, & tenuia, quàm in humida, & densa, quia illa propiùs ad naturam ignis accedunt. Ex dictis

5 Infertur : Illas *scientias* esse ejusdem, vel diversæ speciei, quæ intra eandem *abstractionem* à materia eadem habent, vel diversa specie *principia*, ex quibus suas conclusiones de *objecto* demonstrant : tunc verò habent *principia* demonstrationis unitatem (& econtrariò distinctionem) specificam, quando intra eandem *abstractionem* omnia conducunt, conspirantque ad demonstrandas proprietates de suo *objecto formali*, vel quando intra eandem *abstractionem* unum *principium* derivatur ex alio ; tunc enim non censentur habere diversam vim manifestandi, & illuminandi conclusionem, quia secunda *principia* sortiuntur à primis virtutem inferendi, & ita tandem reducuntur ad unam primam radicem demonstrandi. Vide S. Thom. 1. *Poster. lect. 41*. Ideò ergò omnia *principia metaphysica* habent unitatem specificam in genere scibilis, quia omnia sub perfecta *abstractione* ab omni materia etiam *intelligibili* sunt manifestativa unius rationis objectivæ, videlicet *entis ut sic*. Idem dicas de *Physica*, & *Mathematica*.

6 Objic. 1. *Cont. 1. Resol.* Creaturæ sunt *objectum scientiæ* divinæ, & tamen eam non specificant (alioqui Deus à creatura, tanquam à causa exemplari, objectiva, & perficiente penderet, quod fieri non potest)

est) ergò specificare *scientias* non est de essentia *objecti*. Conseq. patet; essentia enim etiam respectu Dei sunt immutabiles, sicut triangulus tres angulos habet, sive à Deo, sive ab homine fiat, quia hoc ad eius essentiam pertinet.

Resp. Conc. Ant. Dist. Conseq. ergò specificare *scientias*, quæ in genere causæ efficientis dependent ab *objecto*, non est de essentia *objecti*, Neg. Conseq. specificare *scientias*, quæ in genere causæ efficientis non dependent ab *objecto*, non est de essentia *objecti*; Conc. Conseq. Omnis autem creatura est Creatoris effectus non solum in genere causæ efficientis, sed etiam finalis, & exemplaris, quia propter Deum est, & quædam imitatio ejus divinæ pulchritudinis; cum ergò effectus causam supponat, non potest eam specificare: *objectum* verò creatum non supponit actum, sed causat, & determinat ad certam speciem, ut dictum est, & ideo non est de essentia, ut causet, ac specificet omnem actum, sed solum actum, qui fuit in potentia, & qui non est causa *objecti*, quod in divinis non procedit.

7 Objic. 2. *Objectum*, ut *objectum*, concurrat ad actum scientificum in genere causæ effectiva, fecundando potentiam per species à se immixtas, & cum illa actum produ-

ducendo; ergò non specificat actum. *Conseq. prob.* Non potest eadem causa esse forma, & effectrix sui effectûs, alioquin seipsam causeret; ut enim *efficiens* producit effectum, ejûsque specificationem, ac formam, quia nihil producitur, nisi sub certa specie, & forma: atqui *objectum* est causa *efficiens* actûs scientifici; ergò non potest simul esse causa *formalis*, & specificativa illius.

Resp. Conc. Ant. Dist. Conseq. ergò non specificat actum sub ratione causæ *efficientis*, *Conc. Conseq.* non specificat actum sub ratione causæ *formalis extrinsecæ*, *Neg. Conseq. ad prob. Dist. M.* Non potest eadem causa esse forma *intrinsecæ*, & effectrix sui effectûs, *Conc. M.* non potest eadem causa esse forma *extrinsecæ*, & effectrix sui effectûs, *Neg. M. Conc. min. & sub eadem dist. Conc. vel Neg. Consequent.* Et dico: *objectum*, ut *objectum*, duplici modo influere ad specificationem actûs scientifici, uno modo, tanquam causam *effectricem* actûs, dando huic ultima, & specifica prædicata: & hic specificandi modus separari ab *objecto* potest; nam Angeli *objecta* per species infusas cognoscunt, & ita cognitio angelica non pendet *effectivè* ab *objectis*, idque generale est in omni *scientia* infusa, quæ ab *objectis* specificatur, nec tamen causatur. Alius

modus *extrinsecè* actum scientificum specificandi, pertinens omnino ad essentiam *objecti* creati, est per modum formæ *extrinsecæ*, & repræsentabilis, quâ ratione prototypon est causa specificativa imaginis, hanc sibi assimilando, non producendo. Jam ergò non repugnat, aliquid simul esse causam *effectricem*, & *exemplarem*; causa enim *exemplaris* est tantum forma *extrinsecæ* actûs scientifici, & ita non sequitur, eam cum actu produci debere, idque in Deo patet, qui est causa *efficiens*, & *exemplaris* omnium rerum.

- 8 Objic. 3. Si *scientia* specificantur per *objecta*, sequitur, quòd, ubi *objectum* est substantia, etiam actus sit substantia, ubi *objectum* est materiale, etiam actus sit materialis: sed hoc est falsum; cùm enim intellectus materiam cognoscit, hæc cognitio est accidens spirituale, cùm tamen *objectum* sit substantia materialis; ergò *scientia* non specificantur per *objecta*, hoc est non assimilant sibi actum in prædicatis essentialibus, hoc enim est specificare.

Resp. Dist. *sequel. M.* Si *scientia* specificantur per *objecta* materialiter tantum, & in esse rei, sequitur &c. Conc. *sequel. M.* si *scientia* specificantur per *objecta* formaliter, & in esse scibilis, sequitur &c. Neg. *sequel. M.* Conc. min. & Dist. Conseq. ergò *scientia* non spe-

specificantur per *objecta materialiter*, & in *esse rei*, *Conc. Consequent.* non specificantur per *objecta formaliter*, & in *esse scibilis*, *Neg. Consequent.* Dicimus ergò, actum scientificum non quoad omnia ab *objecto* specificari, sed tantum quoad illa, quæ dicunt relationem, & ordinabilitatem ad *objecta*; cum ergò prædicata *qualitatis*, *vitalitatis*, *spiritualitatis*, *accidentis* non dicant habitudinem ad *objecta*, quoad hæc ab *objectis* non specificatur, & ita non oportet, actum scientificum esse substantiam, si *objectum* est substantia &c. At verò *scientia* secundum ultimum, & specificum gradum cognitionis scientificæ, cum ordinetur ad *objectum*, sitque ejus imago, necessario sic ab *objecto* specificatur, hoc est, omnia prædicata *objecti*, modo tamen elevatori, & vitaliter transformativo, in se transfert; non ergò specificatio desumitur ab *objecto in esse rei*, sed in *esse scibilis*, quia ut sic tantum ad *objectum* refertur, quemadmodum ferè sigillum ceram specificat, non quidem in *esse rei*, & *materialiter*, sed in *esse repræsentativo*, & *formaliter*, impressâ videlicet formâ, sed non relictâ materiâ.

- 9 *Objic. 4.* Quod specificat, dat unitatem specificam: sed *objecta* non dant unitatem specificam *scientiis*; ergò *objecta* non specificant *scientias*. *M. est certa*; unitas enim
spe-

specifica consequitur speciem. *min. etiam patet*; idem enim specie *objectum* à distinctissimis specie *scientiis*, v.g. idem corpus humanum à Physica, & Medicina, idem Deus à Metaphysica, & Theologia attingi potest; ergo &c.

Resp. Conc. *M. Neg. min. ad prob. Dist. Ant.* idem specie *objectum* à distinctissimis specie *scientiis* attingi potest *sub eadem ratione formali sub qua*, *Neg. Ant.* attingi potest *sub diversa ratione formali sub qua*, *Conc. Ant. & sub eadem dist. Conc. vel Neg. Conseq.* Nec enim simpliciter dicimus, *scientias* specificari, & accipere unitatem specificam ab *objecto*, sed cum addito, *per rationem formalem sub qua*, ut nimirum sub certo lumine principiorum intra eandem abstractionem est scientificè cognoscibile, ac demonstrabile.

10 Dices: Ex hoc sequitur, *scientias* non ab *objectis* specificari, & à se invicem distingui, sed à diverso lumine principiorum, & modo ea cognoscendi, qui non in *objectis*, sed intellectu est.

Resp. *Neg. Illat.* Nec enim dubium est, ex diverso lumine, & modo attingendi *objecta* diversam quòque in *objectis* proportionem, & cognoscibilitatem oriri; sicut enim non solum causa efficiens pro conjunctione ad diversas causas diversos effectus

ctus producit, ſed etiam cauſa *formalis*, v.g. anima pro diverſitate organizationis, & diſpoſitionis diſtinctos effectus formales tribuit, vegetativi tantum, aut ſenſitivi &c. ita *objectum* quoad varias ſuas formalitates manifeſtabile, prout diſtinctis luminibus afficitur, ita diſtincto modo, & diſtinctas ſcientias ſpecificat, & ita ſemper verum eſt, ſpecificationem ſcientiarum ab *objectis* eſſe, quia *objectum* aliter, & aliter manifeſtatum, aliter etiam in actum ſcientificum influat, eumq; ſibi aſſimilat: quod etiam in *objectis* artium videre eſt; idem enim metallum, v.g. æs, ut in varias formas ductile pertinet ad Statuariam, ut ſonorum ad Campanariam &c. & hæc varia in materia *circa quam*, ſeu *objectis* habitudo, & diſpoſitio, ut artibus, ita ſcientiis præſupponitur, quia nec ſcientiæ *objecta*, nec artes materiam faciunt, ſed circa jam factam, & præjacentem operantur.

II Objic. 5. *Cont. 2. Reſol.* Intra eandem abstractionem dantur ſcientiæ ſpecie diſtinctæ; ergo unitas ſpecifica ſcientiarum non deſumitur ex abstractione. *Conſequent. patet. Ant. prob.* Arithmetica, & Geometria ſunt ſcientiæ, quæ ſpecie diſtinguuntur, & tamen habent eandem abstractionem; utraque enim abſtrahit à materia ſenſibili tantum,

tum, non verò à materia intelligibili, hoc est, quantitate; ergò &c.

Resp. *Trans. Ant. Dist. Conseq.* ergò unitas specifica scientiarum non desumitur ex abstractione sola, *Conc. Conseq.* non desumitur ex abstractione, & unitate principiorum simul, *Neg. Conseq.* Arithmetica autem, & Geometria non resolvuntur in eadem principia; primum enim Geometriæ principium est punctum, primum Arithmeticæ principium est unitas, hæc demonstrat multitudines, illa magnitudines; & quamvis tam unitas, quàm punctum, tam magnitudo, quàm multitudo sint species quantitatis in esse rei, non tamen in esse scibilis: tum quia Arithmetica v. g. non considerat quantitatem, ut quantitas est, hoc enim ad Physicum pertinet, sed ut discretam, & numerabilem, hoc est, variis modis ordinabilem, & infinitas proportionibus induentem: tum quia ex solis principiis quantitatis ut sic, hoc est, ut est ens extensum, & naturale, nullam deduces conclusionem arithmeticam, aut geometricam, ut experientiâ, & inductione patet.

- 12 Objic. 6. Si unitas scientiarum ex unitate principiorum desumenda est, sequitur, duas tantum scientias dari, Metaphysicam videlicet, & Physicam: sed hoc videtur absurdum; ergò unitas scientiarum non est desumenda ex unitate principiorum. Seq. Ma

prob. Tum quia omnium ſcientiarum principia reſolvuntur tandem in principia metaphyſica; omnes enim concluſiones Logicæ, Phyſicæ, ac etiam Mathematicæ tandem ad hæc principia reducuntur: quodlibet eſt, aut non eſt: quacūque ſunt eadem uni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe: quæ eidem ſunt æqualia, etiam inter ſe ſunt æqualia: ſi ab æqualibus auferantur æqualia, quæ remanent, ſunt æqualia: ſi inæqualibus addantur æqualia, tota ſunt inæqualia &c. Tum quia omnes ſcientiæ, etiam Mathematica, & Metaphyſica, utuntur miniſterio ſenſuum; nihil enim eſt in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu; ergo &c.

Reſp. Neg. ſequeſ. M. ad Prob. 1. Diſt. Ant. omnium ſcientiarum principia reſolvuntur tandem in principia metaphyſica, tanquam in principia proxima, & propria, *Neg. Ant.* reſolvuntur in principia metaphyſica, tanquam in principia remota, & extranea, *Conc. Ant. ad prob. 2. Diſt. etiam Ant.* omnes ſcientiæ utuntur miniſterio ſenſuum primò, & inchoativè, *Conc. Ant.* utuntur miniſterio ſenſuum ultimatò, & conſummativè, *Neg. Ant. & Conſeq.* Verum ergo quidem eſt, omnes concluſiones ſcientificas reſolvi tandem in principia metaphyſica, at non tanquam in propria, & proxima, ſed extranea ſolùm, & remota, & ideo etiam ſine illis da-

ri possunt demonstrationes perfectissimæ ex principiis propriis, & proximis; sic v. g. in Physica hoc est principium per se notum: contraria contrariis pelluntur; in Mathematica: ab omni parte circuli duci potest linea recta ad centrum; in Ethica: nemo amat, nisi bonum &c. quæ principia sunt aded propria, & proxima, ut non nisi remotissimam cum illis principiis metaphysicis connexionem habeant. Verum etiam est, omnes scientias, etiam Mathematicam, & Metaphysicam, uti ministerio sensuum inchoativè, & primò, non autem consummativè, & ultimò; sola enim Physica hæret inter sensibilia: Mathematica verò pergit ultra sensum, & Metaphysica super omnem sensum: sicut ergò omnia metalla ex terra, & in terra nascuntur, sed non omnia æquè à sole elaborantur; uni enim perfectior forma, & excoctio, quàm alteri, par origo, sed impar progressus, & absolutio: sic omnis veritas ab objecto sensibili in intellectum cadit, sed ab hoc auxilio scientiarum perfectius, & perfectius consideratur.

13 Quæres: Utrùm scientia sit una simplex qualitas?

Resp. Ex sententia S. Thomæ 1. 2. q. 54. a. 4. ad 3. habitum scientiæ esse simplicem qualitatem; sicut enim una est, & simplex anima, quæ aures ad audiendum mo-

vet, oculos ad videndum, caput ad ratio-
cinandum, sanguinem ad alendum; ita
unum, & *simplicem habitum* sufficere ad in-
struendum, & illuminandum intellectum
circa totum objectum, & omnes conclu-
siones unius *scientiæ*, v. g. *Physicæ*. Suarez
verò cum R.R. negat, habitum *scientiæ* esse
simplicem qualitatem, sed ex multis partiali-
bus conflatum, ordine tamen conjunctis,
& subordinatis, ita, ut singuli habitus par-
tiales inclinent intellectum ad assensum
certarum conclusionum, & ad vincendas
difficultates, quæ circa singulas conclusio-
nes occurrunt. Res est parvi momenti.

Quæstio IV.

*Quotuplex sit subalternatio Sci-
entiarum? Quæ ejus conditio-
nes? Et an subalternata sit
propriè dicta Scientia?*

S U M M A R I A.

1. Variè dividitur *scientia*. 2. Tribus modis
una *scientia* alteri subalternari potest. 3. Statuun-
tur conditiones ad propriè dictam subalternationem
requisitæ. 4. *Scientia* subalternata in eo, qui subal-
ternantem habet, est vera *scientia*. 5. Solvitur ob-
jectio.

Seçtio. 6. Subalternata est vera scientia etiam in eo, qui subalternante caret. 7. Non tamen est in statu perfecto, nisi subalternanti jungatur.

PRænotand. Non unam tantum ex natura rei dari scientiam; nec enim una scientia extenditur ad quodlibet objectum, nam Physica v.g. non extenditur ad objectum Metaphysicæ, nec hæc ad illud, quolibet intra limites proprios manente. Variè autem, in genere loquendo, scientia dividitur: primò, in actuale, & habituale; sicut enim aliud est visio, aliud potentia videndi: aliud cantus, aliud habitus cantandi, & unum separari ab alio potest: ita aliud est actu scire, aliud habitum sciendi habere, & habitus sine actu esse potest. Secundo, in naturalem, & supernaturalem: Huius objectum formale, & ratio formalis sub qua est supernaturalis: Illius verò objectum formale, & ratio formalis sub qua est naturalis. Tertio, in speculativam, & practicam: Speculativa in cognitione veritatis quiescit: practica verò ordinatur ad opus: de qua divisione vide plura in Tractatu Prolegom. sect. 3. q. 3. Quarto, in subalternantem, & subalternatam: Hæc est, quæ sub altera continetur: Illa verò, quæ alteram sub se continet: circa hanc divisionem, quæ omnium celeberrima est, tria hîc discutienda veniunt: primò, quot modis una

scientia alteri subalternari possit? *Secundò*, quænam *conditiones* ad propriè dictam subalternationem requirantur? *Tertiò*, an subalternata sit vera, & propriè dicta *scientia* tam in eo, qui subalternantem habet, quàm in eo, qui subalternante caret?

2. *Resol. 1. Tribus modis una scientia alteri subalternari potest.*

1. *Ratione finis*: quando videlicet *finis* unius ordinatur ad *finem* alterius: sic *finis* *Logicæ* ordinatur ad *finem* aliarum *scientiarum*: sic etiã *Ars frænofactoria* subordinatur *Equestri*, hæc *Militari*, *Militaris Politicæ*. Hæc prima subalternatio non est propria.

2. *Ratione principiorum*: quando videlicet aliqua *scientia principia* accipit ab alia, ut *Musica* ab *Arithmetica*: quod duplici iterum modo fieri potest; *primò*, ut omnia *principia* ab altera accipiat, in qua à priori demonstrantur: *secundò*, ut unum tantum, alterumve *principium* ab alia *scientia* accipiat, ut suas conclusiones demonstret.

3. *Ratione objecti*: cùm nimirum *objectum* unius *scientiæ* continetur sub *objecto* alterius vel *essentialiter*, vel *accidentaliter*: *essentialiter*, si addat *differentiam essentialem*, sitq; *species objecti superioris scientiæ*, quò modo omnes *scientiæ* subordinantur *Metaphysicæ*, quia sub *ente*, quod est *objectum* *Metaphysicæ*, cætera *objecta* omnium *scientiarum*.

entiarum continentur; *accidentaliter*, si addat differentiam tantum *accidentalem*, quæ, *objecto scientiæ superioris*, sive *subalternantis* addita, novas, & demonstrabiles proprietates fundet.

Resol. 2. Ad propriè dictam *subalternationem* tres sequentes *conditiones* requiruntur.

1. Ut *objectum subalternata* contineatur sub *objecto subalternantis*, adeò, ut hoc de illo prædicari possit in recto, v. g. *numerus sonorus est essentialiter numerus*: defectu hujus *Chirurgia* non *subalternatur* propriè *Geometriæ*; quia non possum dicere: *corpus*, aut *vulnus sanabile est linea*, vel *planum*: nec *Theologia* *subalternatur* *Physicæ*; quia non possum dicere: *Deus est corpus naturale*.

2. Ut *objectum utriusque scientiæ* non sit omnino idem, sed *subalternata* addat *objecto subalternantis* differentiam *accidentalem*; ad *scientias* enim *subalternatas* requiritur, ut & sint distinctæ, & sint connexæ: nam si non sint distinctæ, nec ordinem, nec dependentiam habebunt, & ideò nec erunt subordinatæ, ordo enim, & dependentia distinctionem dicunt: si verò non aliquo modo convenient, non erit ratio, cur una potius, quàm alia *subalternetur*; si ergò distinguuntur, ergò habent distinctum *objectum* (hoc enim est prima

radix *scientias* distinguendi) sed differen-
tia specifica, & *essentialis*, generi addita,
non causat distinctionem objecti, imò
potius identitatem *essentialem*; ergò debet
generi addi aliqua differentia *accidenta-*
lis, quæ objectum nec omnino relinquit
idem, nec omnino diversum. Requiritur
autem, ut hæc differentia *accidentalis* sit
tal^{is} naturæ, ut ex conjunctione ad ob-
jectum superioris *scientia* habeat speciales
rationes, seu proprietates, quæ de ipso
demonstrari possint, & consequenter con-
stituunt speciale genus *scibilis*, sicut O-
ptica addit lineæ rationem *visibilis*, & Musi-
ca objecto Arithmeticæ, hoc est, nume-
ro rationem *sonori*: numerus verò *colora-*
tus non fundat proprietates aliquas de-
monstrabiles, & ideo nec constituit *scien-*
tiam aliquam *subalternatam*.

3. Ut *subalternata* nulla habeat prin-
cipia propria per se nota, sed principia *sub-*
alternata sint conclusiones *subalternantis*,
& in ea probentur; sic v. g. Opticus pro
principio habet: *super oculum posita non vi-*
deri, quæ propositio absolutè est *naturalis*;
quia tamen demonstrari non potest, nisi
principiis *geometricis*, subordinatur Geo-
metriæ, quæ sic illam probat: *objectum,*
oculo immediatè conjunctum, jacit species non
per modum anguli pyramidalis (quò modo sit
visio)

visio) sed per modum basis, & idè oportet ob-
jectum nec nimis esse remotum, quia angulus,
quò magis extenditur, eò cuspidem habet debi-
liorem, nec nimis vicinum, quia linea circa basin
non formant angulum; ergò nec sunt visibiles.

Dixi: nulla habeat principia propria per se
nota; si enim aliqua scientia suas conclu-
siones resolvat in principia per se nota, &
unum tantum, alterumve principium ab
alia scientia accipiat, ut suas conclusiones
demonstret, non erit propriè, & simpliciter
subalternata, sed impropriè tantum, & secun-
dum quid: ex hoc capite scientiæ naturales
propriè non subalternantur Metaphysicæ,
quia plerâsq; conclusiones resolvunt in
principia intra eandem abstractionem per
se nota, & pauca tantum, ac valdè remo-
ta recipiunt à Metaphysica; & Chirurgica
propriè non subalternatur Geometricæ,
quamvis ab ista unum, alterumve princi-
pium accipiat, v.g. figura rotunda nullos ha-
bet angulos; ergò vulnera rotunda tardius obdu-
cuntur, & curantur.

- 4 Resol. 3. Scientia subalternata in eo, qui
etiam subalternantem habet, est vera scien-
tia.

Ratio est; Quia scientia subalternata ut sic
unitur subalternanti, & resolvit in princi-
pia certa, & evidentia, sicut corpus, ut
unitum animæ, verè vivit, verè movetur,

& sentit; nihil ergò *scientiæ subalternatæ*, quâ tali, deest, ut verè *scientia* non sit.

- 5 Dices: *Scientia* non debet procedere per principia extranea: sed principia *subalternantis* sunt *subalternatæ* extranea; ergò hæc vera *scientia* non est.

Resp. Neg. min. Quamvis enim *subalternata* procedere videatur per principia extranea, v.g. Musica ex principiis Arithmeticæ, extranea tamen non sunt; sicut enim corpus non est extraneum animæ, quia *essentialiter* unibile est animæ: nec lux extranea colori, quem *naturaliter* illuminat: ita nec *subalternans*, ejusve principia extranea sunt *subalternatæ*; quia huic *essentialiter* connectuntur, alioquin & conclusio scientifica *scientia* non esset, quia non est per se nota, & evidens, sed evidentiam a primis principiis, & per se notis accipit.

- 6 Resol. 4. *Scientia subalternata* est verè *scientia*, etiam in illo, qui *subalternantem* non habet, v.g. musicæ *scientiæ* peritus, quamvis Arithmeticam non calleat, verè scit Musicam. S. Thomas Opusc. 70. q. 2. a. 2. ad 5. 6. & 7. & 1. p. q. 1. a. 2.

Ratio est 1. Si aliqua ratio est, ob quam *subalternata* verè dici non potest *scientia* in eo, qui caret *subalternante*, erit hæc, quia caret evidentiâ, & consequenter certitudine, quæ nascitur ex evidentiâ: sed hæc
ratio

ratio nulla est; ergò *subalternata* verè dici potest *scientia* in eo, qui caret *subalternante. min. prob.* Quia, licèt hæc propositio: *diatessaron habet consonantiam*, in eo, qui caret Arithmetica, non habeat *actualem evidentiam*, habet tamen *radicalem*: sed hæc *radicalis* evidentia sufficit ad hoc, ut *subalternata* sit verè *scientia*; ergò &c. *M. est certa*; cùm enim illa propositio sit *essentialiter* connexa cum principiis numeri, & contineatur sub objecto numeri sonori, *essentialiter* potest, & petit demonstrari evidenter in Arithmetica. *min. verò prob.* Tum quia hæc *radicalis* evidentia sufficienter distinguit principia *subalternata* à veritatibus merè probabilibus, & opinativis, quæ nullam habent veritatem necessariam, & demonstrabilem, ne quidem *radicaliter*; *radicalem* enim evidentiam habere nihil aliud est, quàm *essentialiter* dependere à principiis certis, & evidentibus: nulla autem opinio ut sic dependet *essentialiter* à principiis certis, & evidentibus; ergò &c. Tum quia sicut essentia, & natura plantæ non est florere, & germinare, sed posse; & essentia hominis non ratiocinari, sed posse: & essentia coloris non videri, sed posse videri: ita essentia, & natura *scientia* non est esse actu evidentem, sed posse, & debere. Deinde nec evidentia *actualis* tam physica,

sica, quàm *moralis*, quæ ſolo hominum teſtimonio nititur, ſubalternata deest; non *phyſica*; hoc enim principium muſicum: *uniſonum non facit conſonantiam*, & iſtud opticum: *objectam, aut nimis remotum, aut nimis propinquum ſenſui, non videtur*, habent evidentiam ſenſibilem, & à poſteriori: non *moralis*; ſicut enim multi Romæ fuerunt, & hi omnes teſtantur eſſe, nemo econtrà id negat, & id eò *moraliter* certum, & evidens hoc eſt: ita omnes, qui Geometriam callent, figuram circularem angulis carere dicunt, & angulum quò remotiorem, eò minorem eſſe, quæ ſunt principia Chirurgicæ, & Opticæ, in quibus nemo diſſentit; habent ergò certitudinem, & evidentiam *moralem*, quæ, cùm ſumma eſt, omnem evidentiam *phyſicam* ſuperat; quis enim non audeat juramento aſſerere, Ciceronem vixiſſe, quem nunquam vidit? quamvis non audeat jurare, ſolem centies ſexagies ſexies majorem terrâ eſſe: ſtellas firmamenti à nobis 17. milliones miliariorum Belgicorum, qui horâ conſtant, diſtare: eundem ſolem unius minuti ſpatio leucas horarias 480. percurrere: principia naturalia eſſe tantum tria &c.

Ratio eſt 2. Ex conſenſu omnium Philoſophorum, & præſertim Ariſtotelis, & D. Thomæ, receptum eſt inſtar axiomatis:

ſcien-

scientiam subalternatam scire quia, & subalternantem propter quid; Optica enim scit à posteriori, objectum, quod propè est, efficere majorem angulum visuale, quæ tamen veritas est essentialiter, & à priori in Geometria demonstrabilis, quia linea ab eadem basi producta, quò propius conjunguntur, eò majorem angulum efficiunt; Euclid. l. 1. Elem. prop. 21. non quòd Geometria consideret angulos in linea visuali; hoc enim ad solam Opticam pertinet; sed quia considerat angulos ut sic, qui, lineæ visuali conjuncti, proprietates efficiunt demonstrabiles per principia anguli ut sic; si ergò subalternata scit quia, idque etiam seorsim spectata, ergò vera est scientia, & veras habet demonstrationes independentes à subalternante.

17 Adverte tamen: Certum videri, subalternatam non esse in statu perfecto, nisi subalternanti conjungatur; ab ista enim sortitur evidentiam, & certitudinem à priori, & intrinsecam. Vide S. Thomam q. 14. de verit. a. 9. ad 3. Objectiones solvi facile ex dictis possunt.



Quæ

Quæstio V.

*An Scientia, & Opinio in eodem
intellectu de eodem objecto
dari possint?*

S U M M A R I A.

1. Quid sit opinio? quis ejus effectus, & quoruplex? 2. Non potest in eodem intellectu, & de eodem objecto dari actus scientiæ, & opinionis, si uterque actus suum effectum formalem intellectui communicet. 3. Id tamen non repugnare, ostenditur, si non uterque, sed unus tantum, videlicet scientiæ, suum effectum formalem intellectui communicet. 4. & 5. Solvuntur objectiones. 6. Quid de habitu scientiæ, & opinionis dicendum?

PRænotand. Opinionem actualem (de qua, sicut & de scientia actuali præcipuè Quæstio præsens inter Philosophos agitari solet) ab Aristotele 3. *Ethic. c. 2.* benè defini-ri: quòd sit assensus intellectûs alicui propositioni præstitus ex motivo probabili, & cum formidine oppositi; sicut enim effectus scientiæ est certitudo, & firmitas intellectûs; ita opinionis effectus est formido, quæ duplex est, radicalis, & formalis. Radicalis oritur ex incertitudine, & fallibilitate medij, quæ intellectum fluctuantem, & formidolosum
de

de certitudine sui actûs reddere potest, etsi actu non reddat: & hæc formido cui libet *opinion*i est *intrinseca*, & *essentialis*. Formalis tunc habetur, quando intellectus actu formidat, ne objectum, cui assentitur, aliter se habeat, quàm ipse cognoscit, & iudicat: & hæc *opinion*i *intrinseca*, & *essentialis* non est; constat enim experientiâ, nonnullos ita suis *opinion*ibus mordicus adhærere, ut nullum alium de ijs actum dubitationis in contrarium admittant; unde Aristoteles: *quidam*, inquit, *opinantium non dubitant, sed existimant, se certo scire*. Hoc prænotato, sit

2. Resol. 1. Non potest simul, & semel in eodem intellectu de eadem omnino re, & objecto dari actus *scientiæ*, & *opinionis*, ita, ut uterq; actus intellectui suum effectum formalem communicet.

Ratio est 1. *Authoritas Philosophi*, & *S. Thomæ*, qui q. 14. de verit. a. 9. ad 6. ita concludit: *Non videtur, esse possibile, quòd aliquis de eodem habeat scientiam, & opinionem; quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit.* & 1. 2. q. 67. a. 3. ubi dicit: *ex parte subjecti* (hoc est, intellectûs) *differunt secundum perfectum, & imperfectum opinio, & scientia; nam de ratione opinionis est, quòd accipiat unum cum formidine alterius oppositi, unde non habet*
firmam

firmam inhaſionem: de ratione verò ſcientiæ eſt, quòd habeat firmam inhaſionem cum viſione intellectiva &c. maniſeſtum eſt autem, quòd perfectum, & imperfectum non poſſunt ſimul eſſe ſecundùm idem &c.

Ratio eſt 2. Implicat, ſimul, & ſemel de eodem objecto eſſe in eodem intellectu cognitionem evidentem, & non evidentem, certam, & non certam, & conſequenter intellectum convinci, & non convinci, certum eſſe, & non certum, fluctuare, & non fluctuare: ſed *ſcientia* eſt cognitio evidens, certa, & non fluctuans, *opinio* econtrà eſt cognitio inevidens, incerta, & fluctuans; qui enim opinatur, hanc habet cognitionem, v.g. Papa, ut opinor, vivit, ſed fortè mortuus eſt; ergò implicat, *ſcientiam*, & *opinionem* ſimul, & ſemel, & de eodem objecto eſſe in eodem intellectu, ſi nimirum uterque actus intellectui ſuum effectum formalem communicet. *min. eſt certa. M. etiam patet*; illa enim non minus ſunt formæ contradictoriæ, quàm currere, & non currere, eſſe album, & non eſſe album, lucere, & non lucere; quàm parùm enim idem Petrus ſimul currere poteſt, & ſedere per diverſas actiones: aut idē paries ſimul eſſe albus, & niger per diverſas formas: aut idem aër ſimul eſſe lucidus, & tenebroſus per diverſas cauſas: tam parùm
idem

idem intellectus de eodem objecto potest simul esse certus, & non certus, fluctuans, & non fluctuans &c. quamvis hæc certitudo, & non certitudo ex diversis mediis, & motivis proveniant.

- 3 Resol. 2. Non repugnat, in eodem intellectu de eodem objecto conjungi actum scientiæ, & opinionis, si non uterque actus, sed unus tantum, videlicet scientiæ, suum effectum formalem intellectui communicet.

Ratio est 1. Autoritas S. Thomæ, qui 3. p. q. 9. a. 3. ad 2. expressè concedit, posse in eodem subjecto de eodem objecto scientiam, & opinionem conjungi; sic enim ait: opinio, ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, quâ tamen acquisitâ, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam; quia ille, qui cognoscit causam, ex hac etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Similia habet in 1. 2. q. 67. a. 3. ubi: impossibile est, inquit, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij convenient in uno medio: sed nihil prohibet, quin convenient in uno objecto, & in uno subjecto; potest enim unus homo cognoscere eandem conclusionem per medium probabile, & demonstra-

tivum. Ex quibus locis convincitur, non poſſe quidem intellectum ſcire, & opinari de eodem objecto, ſive, quod idem eſt, habere *ſcientiam*, & *opinionem* cum formidine *formali*, poſſe tamen habere *ſcientiam*, & *opinionem* cum formidine ſolùm *radicali*; cognitio enim per medium probabile ex ſe, & intrinſecè erit fluctuans, dubia, & incerta, hunc tamen effectum intellectui ſcienti non tribuet, quia eſt incapax; cùm enim ſit certus, non poteſt reddi incertus: & ſicuti ſtante, vel adveniente lumine, & cauſâ luminis tenebræ luci cedunt, non econtrâ; ita ſtante, vel adveniente *ſcientiâ*, ac certitudine cedit incertitudo, & obſcuritas, quæ aliàs ab *opinionem* intellectum occuparet, ſed impedit, ut dixi; præpotentior certitudo, quam intellectus à *ſcientia* haurit. Cujus

Ratio eſt 2. Quia, licèt ſcire, & opinari ſint actus contradictionem inferentes, quamvis ex diverſis cauſis, & mediis proveniant (ſicut eſſe clarum, & obſcurum, calidum eſſe, & non eſſe calidum, quamvis alia ſit cauſa clari, alia obſcuri &c.) non tamen ipſæ formæ, & cognitiones ſcientifica, & opinativa: ſunt enim formæ *poſitiva*, non *privativa*; *ſcientia* enim & *opinio* in dicto caſu non ſe habent, ſicut forma, & privatio formæ, ſed ſunt inſtar majoris,

foris, & minoris luminis, diversæ tamen, non ejusdem rationis; ergò, licet intellectus de eodem objecto scire, & opinari non possit, potest tamen de eodem objecto habere *scientiam*, & *opinionem*.

Ratio est 3. Potest eadem res simul habere causas sui, & effectus *necessarios*, & *contingentes*, ut de effectibus ab experientia patet, & de causis etiam; homo enim habet causas suæ mortalitatis tam *necessarias*, quàm *contingentes* ab aëre, à cibo, potuque, à morbis, venenis, plagis &c. vide eleganter Plin. l. 7. c. 7. Si ergò non repugnat, eandem rem *contingentem*, & *necessariam* esse respectu causarum, & effectuum diversorum, multò minùs repugnabit, per diversa media *contingenter*, & *necessariò* cognosci; cùm minùs repugnet, aliqua simul cognosci, quàm aliqua simul esse; ubi ergò hoc non repugnat, nec illud repugnabit.

Ratio est 4. Non repugnat, intellectum assentiri objecto per actum nitentem duobus motivis, altero fallibili, & inevidente, altero infallibili, & evidente; ergò etiam non repugnat, intellectum assentiri objecto per duos actus, quorum unus nitatur motivo fallibili, & sit *opinio*, alter in-

fallibili, & sit *scientia*. *Conseq. videtur clara*; aut enim illa duo motiva, fallibile, & infallibile, certum, & incertum repugnant, aut non repugnant? si non repugnant? cur negas, posse in eodem intellectu conjungi? si repugnant? cur concedis, posse in eodem actu conjungi? planè, quæ repugnant, minùs in uno subjecto conjungi, quàm in duobus possunt: possum uno oculo videre, altero non videre, sed uno, eodémque videre, & non videre, hoc fieri non potest, vel si hoc fieri potest, multò magis illud. *Ant. verò prob. in syllogismo duabus præmissis nitente, quarum una est probabilis, altera evidens: deinde, qui Papam viventem videt, & simul à centum aliis audit, eum vivere, cognoscit, Papam vivere, tum testimonio sensuum, quæ probatio est evidens: tum autoritate aliorum, quæ probatio est inevidens; quæ autoritas in hoc casu concurrat non ut motivum speciale, sed ut subordinatum evidenti, cum eoque connexum; movet enim me ad assensum evidentem, non præcisè ut autoritas hominum, qui fallere possunt, sed ut consonans certæ, & evidenti probationi; sicut ergò quælibet gutta, mari injecta, fit mare: ita motivum ex se tantum probabile, evidenti conjunctum, fit evidens; & si plura motiva, quorum singula*

gula præcisè sunt fallibilia, sibi conjuncta, evadunt infallibilia, & ad assensum infallibilem concurrunt (hæc enim propositio: *Roma est*, est infallibilis ex testimonio multorum, quorum singuli fallere, & falli possunt) quanto magis motivum fallibile infallibili conjunctum?

- 4 Objic. I. *Cont. 1. Resol.* Potest opinio dari sine omni formali, sive actuali formidine, & incertitudine; qui enim Romam non vidit, credit tantum, aut opinatur, Romam esse, nec tamen formidat, aut incertus est; ergò potest actus scientiæ, & opinionis de eodem objecto in eodem intellectu conjungi; in hoc enim casu illi effectus contradictoriij non sequuntur.

Resp. *Conc. Ant. Dist. Conseq.* ergò potest actus scientiæ, & opinionis de eodem objecto in eodem intellectu conjungi, si uterque actus suum effectum formalem intellectui tribuat, *Neg. Conseq.* si non uterque actus, sed unus tantum, videlicet scientiæ, suum effectum formalem intellectui tribuat, *Conc. Conseq.* Quia, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 67. a 3. aliud est, opinionem, & scientiam in intellectu dari, aliud intellectum de eadem re scire, & opinari posse: hoc repugnat, & convincit argumentum pro *Resol.* allegatum, illud verò non repu-

gnat, nec inducit contradictionem, ut patet ex dictis.

§ Objic. 2. *Cont. 2. Refol.* Implicat, duos actus contradictorios in eodem intellectu conjungi: sed *ſcientia*, & *opinio* ſunt duo actus contradictorii; ergo implicat, *ſcientiam*, & *opinionem* in eodem intellectu conjungi. *M. eſt certa. min. etiam patet*; quia *ſcientia* ex ſe, intrinſecè, & eſſentialiter eſt cognitio certa, & evidens, *opinio* e contra eſt ex ſe, intrinſecè, & eſſentialiter cognitio incerta, & inevidens; ergo &c.

Reſp. Conc. M. Diſt. min. ſcientia, & *opinio* ſunt duo actus contradictorii, ſi uterque actus ſuum effectum formalem intellectui communicet, *Conc. min. ſecùs, Neg. min. & ſub. eadem diſtinct. Conſequent.* Ex quo patet *Reſp. ad prob. min.* Quamvis enim *opinio* ſit ex ſe, intrinſecè, & eſſentialiter incerta, hunc tamen effectum non ſemper intellectui communicat, quia intellectus ſciens hujus effectûs eſt incapax; ſicut anima hominis eſt eſſentialiter rationalis, hunc tamen effectum non ſemper quoad actum homini, & omnibus partibus corporis, quas informat, communicat, quia non omnes partes hujus effectûs capaces ſunt: quamvis etiam *opinio* ſit ex ſe, intrinſecè, & eſſentialiter inevidens, quia eſſentialiter medio nritur defectibili,

bili, & non convincente; non tamen hanc inevidentiam intellectui communicat, quia est incapax, quando is aliunde scientiam de objecto, & certitudinem habet: sicut v.g. frigus dicit essentialiter negationem caloris, potest tamen in eodem subjecto cum calore reperiri, & tunc non denominabit subjectum non calidum, quia, stante calore, subjectum hujus denominationis est incapax. Ex dictis

- 6 Infertur: Posse in eodem intellectu, & de eodem objecto dari etiam habitum scientia, & opinionis, si non uterque, sed unus tantum, videlicet scientia, suum effectum formalem intellectui communicet; habitus enim ex actu nascitur: jam verò ostendimus, actum opinionis, & scientia non repugnare: habitus autem opinionis, quamvis essentialiter incertus, non tamen relinquet intellectum incertum, & suspensum formidine, habitu scientia hanc incertitudinem, & formidinem reprimente; pone enim, turbato mari, ventisque agitato, navim aliquam in anchoris stare, certum est, hoc fieri posse, nec ideo tamen fluctuat navis, quia in fluctibus est, & à ventis pulsatur, sed anchora insistit, & ab hac contra ventos firmatur: sic intellectus potest de eodem objecto & habitum scientia, & opinionis habere, non ideo tamen

696 *Traſtat. III. De Tertia Ment. Operat.*

fluctuabit, & *opinionum* vento incertus fe-
retur; *ſcientia* enim illi pro anchora, & ſta-
tione eſt. Et hic ſit

Finis

LOGICÆ MAIORIS,

ut in

Trina Unius Mentis Operatione
Glorificetur

DEUS

UNUS, ET TRINUS.



IN-